

**Objic. 6<sup>o</sup>** Mali et boni hujus vitae malis aequae vexantur. — R. d. malis essentialiter cum vitio connexis, *n*; malis naturaliter vel moraliter cum vitio connexis, *sd.* aequae vexantur et deprimuntur, *n*; ita vexantur, ut mali sine solatio premantur, boni conscientiae solatio, pace, spe, facilius ferant, *e.*

**Objic. 7<sup>o</sup>** Nulla bona vel mala essentialiter connexa sunt cum virtute vel vitio; nam boni saepe scrupulis, etc. torquentur; mali saepe conscientiae remorsum extinguunt. — R. *n. ant.* — *ad rat. add* : d. torquentur perpetuo, ... extinguunt perfecte (ita ut se bonos reputent), *n*; torquentur aliquamdiu ut meliores fiant, ... extinguunt imperfecte, ita ut non continuo urgeantur, *e.*

### Propositio 36.

**Legi naturali perfecta sanctio apposita est in futura vita, beatitudinis naturalis fruitio vel privatio.**

**Stat. quaest. 1)** *Sanctionem* legi naturali esse appositam probatum est propositionis praecedentis prima parte; sed eodem argumento etiam ostenditur sanctionem aliquam *perfectam* esse debere, propter divina attributa. Hanc autem in praesenti vita non inveniri ostensum est *ibid.* parte tertia, ergo inveniri debet *in vita futura* : neque hoc jam amplius probare volumus. Sed in quo consistat illa perfecta sanctio in vita futura, nunc quaerimus.

2) Respondemus contra rationalistas aliquos, dicentes hominem destinari ad indefinite perfectiorem continuam sui evolutionem et progressum, ad quem per varias successivas vitas pergat (per metempsychoses varias), atque hanc singularum vitarum sanctionem fore, quod in sequentibus bene vel male se homines inveniant dispositos ad ulteriorem perfectionem...

3) Alii etiam aliter rationalistae docent, sed potius contra praecedentem propositionem.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (fruitio).** Nisi qui legem naturalem servaverit, ad beatitudinem perveniat, Deus serio non vellet ut homo eam, finem ultimum, attingat; *a.* hoc est absurdum; *e.*

*Ad maj.* Homo legem servans, ordinem a Deo volitum servat, media necessaria ad finem suum assequendum adhibet; *e.* si illum non attingit, solus Deus causa est.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (privatio).** Deus beatitudinem proponit ut finem ultimum, et quidem media ad eam procurat, et libertatem per quam homo illis utatur; *a.* haec conciliari cum Divina sapientia et justitia nequeunt, nisi privatio beatitudinis sit sanctio legis non servatae; *e.*

**Prob. min.** Deus 1) proponens finem ultimum, eum efficaciter velle debet; — 2) dans media quibus homo libere utatur ad finem assequendum, vult conditionate, non absolute illum finem ultimum; — *a.* si Deus efficaciter sed conditionate vult finem, debet eum non nisi sub certa aliqua conditione velle (ex sapientia); et si haec conditio est rectus libertatis alienae usus, debet sancire ut praeter hunc rectum usum finis non attingatur (ex justitia); *e.*

**Schol. 1<sup>m</sup>** Possessio beatitudinis varios potest habere gradus pro varietate meritorum. — Item privatio potest varios miseriae gradus habere pro gravitate scelerum, nam non solum est carentia boni, sed conjuncta cum invincibili varie intensa tendentia in illud bonum, orta ex cognitione varie perfecta hujus boni.

**Schol. 2<sup>m</sup>** Abstrahimus a quaestione, utrum *immediate* post mortem finiatur tempus viae, et incipiat praemiatio vel punitio; hoc enim ex sola revelatione scimus.

**Schol. 3<sup>m</sup>** Etiam abstrahimus a quaestione, utrum amissioni beatitudinis adjungendae sint poenae aliae positivae; quod ex sola ratione possibile et probabile, non tamen certum videretur.

**Schol. 4<sup>m</sup>** Etiam abstrahimus a quaestione, utrum homo qui semel contra legem naturalem graviter offenderit, possit iterum se restituere in efficaci tendentia ad beatitudinem; quod ex sola ratione certum non videtur, sed probabile; nam ordinario superstes peccato suo vivit, et saepe diu; *a.* hujus reliquae vitae nullus alius finis sapiens esse posse videtur, nisi ut restaurando ordinem se in via recta restituat (non enim, si irremediabiliter est Dei inimicus, potest finem suum ultimum sive intrinsecum, beatitudinem, sive extrinsecum, Dei gloriam, attingere; neque potest aliis exemplo esse hominibus a peccato deterrendis, qui peccatum saepe ignorant, nec sciunt peccatorem vivere in testimonium divinae justitiae).

### Propositio 37.

**Non desunt rationes ostendentes hanc sanctionem legis naturalis fore aeternam.**

**Stat. quaest. 1)** De vita futura animae variae jam in psychologia quaestiones sunt tractatae, non confundendae; quarum una fuit, utrum anima humana post corporis mortem superstes vivat, alia utrum eadem anima in aeternum vivat; sed etiam his solutis, alia nunc remanet, utrum etiam status sive beatus sive miser hujus animae in aeternum duraturus sit.

2) Ad hujus quaestiones primam partem (de possessione beatitudinis) affirmative respondent omnes qui praecedentes propositiones admittunt.

3) Sed ad ejusdem alteram partem (de privatione beatitudinis) inter se dissentiunt : alii affirmant, alii negant ex sola ratione posse probari aeternitatem privationis. Qui negant, alii explicant post aliquam (longam) durationem privationi succedere possessionem beatitudinis (millenarii, etc...); alii privationi succedere aliam novam vitam quae denuo suam mereatur sanctionem (metempsychosistae, spiritistae, etc...); alii concedunt beatitudinem esse prorsus desperatam, nulla ratione probabili sperandam : attamen per gratuitam Dei misericordiam aliquando concedi posse, saltem abstrahendo a revelatione.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (possessio beatitudinis).** Finis ultimus hominis et sanctio

perfecta legis naturalis observatae, est beatitudo perfecta; *a.* perfecta non potest esse beatitudo aliquando amittenda vel forsam amittenda; *e.* haec debet esse certo aeterna.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*privatio beatitudinis*). 1<sup>o</sup> Sapientia Dei exigit ut id quod absolute voluit, absolute fiat, sed ut id quod conditionate voluit, *nonnisi* sub illa conditione fiat; — *a.* teste ipsa analysi creatae naturae humanae: 1) Deus voluit suam gloriam extrinsecam absolute, — 2) voluit beatitudinem hominis efficaciter, — 3) sed sub conditione, — 4) quae conditio sit ab homine ponenda, — 5) et irrevocabili sanctione sancienda; *e.*

*Ad maj.* Sibi contradiceret qui, quod conditionate tantum vult, simul (eodem decreto), vel etiam postea (mutato decreto), vellet tamen absolute fieri (licet post aliquam dilationem).

*Ad min. 1 part. (absolute gloriam).* Solus ille finis erat Deo dignus, et actui creativo proportionatus (cfr. theol. nat. prop. 61); nec potest ille finis frustrari sive homo sit in aeternum miser, sive non.

*Ad 2 part. (beatitudinem efficaciter).* Deus beatitudinem homini praestituit tanquam finem intrinsecum ultimum; *e.*

*Ad 3 part. (sed sub conditione).* Hominem fecit physice liberum, moraliter ligatum obligatione legis naturalis; *e.* eum dirigit ad finem per legem et sanctionem, scilicet alliciendo, non cogendo.

*Ad 4 part. (ab homine ponenda).* Ideo homo in praesenti statu libertatis positus est, ut sit iste status viae et probationis, in quo homo libere mediis utens vel abutens, seipsum ad finem dirigat obtinendum, vel ab eo avertat, ac proinde ipse eligat beatitudinem vel ejus privationem.

*Ad 5 part. (irrevocabili sanctione).* Deus non potest hominem in statu viae relinquere in aeternum, sed debet aliquando ponere in statu termini, ultra quem jam non merito vel demerito, nec gratiae et condonationi sit locus, nec mutandae sententiae vel statui; *a.* ille status termini durabit in aeternum sicut ipsa anima immortalis, et ipse est sanctio finalis pro libera hominis praeparatione, i. e. pro legis naturalis observantia vel violatione; *e.*

**Prob. 2<sup>o</sup>** Sanctitas Dei in eo consistit quod necessario et absolute vult rectitudinem ordinis, sive servandi sive reparandi; *a.* talis voluntas ordinis exigit, ut sanctio legis naturalis violatae in statu probationis, sit aeterna finis privatio in statu termini; *e.*

*Prob. min.* Voluntas servandi ordinem non erit vere efficax, nec vere infinita (divina), nisi tanta sanctio legem naturalem violentibus proponatur, quanta major in suo ordine excogitari nequeat; ad bonum scilicet summum et super omnia necessarium tantum compellat, quantum salva libertate fieri possit; *a.* talis sanctio non nisi aeterna privatio est; *e.*

**Objic. 1<sup>o</sup>** Aeternitas privationis repugnat clementiae et misericordiae infinitae Dei. — R. a) *d.* si divina clementia non esset libere exercenda, et si posset sapientiam, sanctitatem, justitiam excludere, *c;* secus, *n.* — R. b) *n. supp.* (fieri non posse ut sufficienter manifestetur clementia per suavitatem providentiae, per condonationem peccatorum in statu viae, etc.).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Aeterna privatio non attingit finem sanctionis; scilicet peccatorem non corrigit. — R. *d.* finem secundarium et accidentalem (correctionem), *c;* primum et essentialem (restitutionem recti ordinis), *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Potest rectus ordo restaurari per conversionem peccatoris, etc. — R. *d.* quamdiu peccator est in statu viae, *tr;* si obstinate libertate sua abutens pervenerit ad terminum probationis, *n.*

**Objic. 4<sup>o</sup>** Poena aeterna culpam superat quoad gravitatem et quoad durationem — R. *d.* quoad durationem solam; *c;* quoad gravitatem offensae, *n.* (haec fuit objective infinita: contra summam Majestatem).

*Inst.* Etiam privatio beatitudinis per breve aliquod tempus esset objective infinita: privatio summi boni; *e.* haec esset proportionata offensae; nec jam justa est privatio aeterna. — R. *c. ant.* — *c. cons. 1 part.* — *d. 2 part.* non justa si spectatur sola intensitas culpae, *tr;* si simul ordinatio Dei et voluntas ordinis restaurandi; imo et natura ipsius peccati, quod est abjectio libera finis, *n.*

**Objic. 5<sup>o</sup>** Sapientia Dei exigit ut homines ordinet ad procurandam suam gloriam extrinsecam modo eis connaturali, i. e. per liberam actionem potius quam per coactam passionem aeternam. — R. *d.* quamdiu homines sunt in statu viae, *c;* si obstinate peccant usque ad terminum, *n.*

**Objic. 6<sup>o</sup>** Nihil repugnat quominus etiam ex gratuita bonitate, vel ob motiva nobis ignota, Deus aliquando post longam privationem condonet. — R. *n.* (repugnat sapientia et sanctitas).

**Objic. 7<sup>o</sup>** Deus ita vindex delectaretur creaturae supplicii; *a.* hoc est contra bonitatem; *e.* — R. *d. maj.* quatenus ordinem restituunt, *c;* quatenus cruciant, *n;* — *c. d. min.*

**Objic. 8<sup>o</sup>** Etiam qui certo cognoscunt aeternitatem privationis, peccant; *e.* tanta sanctio est insufficientis, ac proinde non sapiens. — R. *d. ant.* ex culpa peccatoris, *c;* legislatoris, *n;* — *d. cons. 1 part.* insufficientis ad tollendam libertatem, *c;* ad efficaciter promovendam legis observantiam, *n.*

### Propositio 38.

**Lex naturalis, quoad generaliora principia, ab homine qui ratione secundum naturae conditionem evoluta utitur, invincibiliter ignorari non potest.**

**Notiones.** 1) Proprietas legis naturalis est *universalitas*:

a) ratione fundamenti (naturae humanae) et finis legis (ordinis servandi), ita ut lex se extendat ad omnem hominem, et ad totum ordinem homini convenientem; quod patet ex ipsa ejus natura;

b) ratione promulgationis, ita ut lex sit in ratione humana promulgata quantum ipse legis finis requirat; quod patet ex sapientia et justitia Dei.

2) Sed ulterius nunc quaeritur qualis sit haec naturalis promulgatio.

**Prob.** Generaliora legis naturalis principia sunt: 1) ea quae sunt omnium prima et communissima, 2) etiam praecepta secunda, seu conclusiones pri-

mis principiis propinquae; — *a.* utraque ab homine qui utitur ratione evoluta invincibiliter ignorari nequeunt; *e.*

*Ad min. 1 part. (prima principia).* Haec se habent in ratione practica cum eadem evidentia ac prima principia theoretica in ratione speculativa; *e.*

*Ad min. 2 part. (praecepta secunda).* Haec nunquam ignorantur nisi ex causa ipsi intellectui extrinseca (voluntate, moribus, etc.); *a.* talis ignorantia est vincibilis; *e.*

*ad maj.* Ignorantia conclusionum per se necessariarum et facili illatione e primis principiis fluentium, non potest esse ex causa intellectui intrinseca; *e.*

**Objic.** Plurima sunt exempla contrarii in historia gentium. — *R. d.* quae probant malam applicationem principiorum, *e;* ipsorum non existentiam, *n.*

### Propositio 39.

**Lex naturalis in se spectata intrinsece immutabilis est.**

**Notiones.** 1) *Lex mutabilis* esse potest :

extrinsece — — si ex libera voluntate legislatoris vel auctoritatis mutari potest.

{ abrogatione : si lex totaliter et simpliciter tollitur.

{ derogatione : si legis pars aliqua detrahitur.

{ dispensatione : si persona aliqua ab obligatione legis eximitur, lege tamen generali manente.

intrinsece — — si legis mutari potest fundamentum vel finis.

2) *Lex naturalis in se spectata* consistit universalibus principiis, et distinguitur a conclusionibus et applicationibus quae pendent ab adjunctorum varietate.

**Prob.** Legis naturalis fundamentum et finis sunt immutabilia; *e.*

*Ad ant. 1 part. Fundamentum* est ipsa natura humana cum suis essentialibus relationibus ad alias naturas.

*Ad 2 part. Finis* est ordo essentialis servandus; *a.* fieri non potest ut iste ordo (exercitium actionum obligatarum, omissio actionum malarum) fiat malus, vel etiam inutilis ad finem absolute ultimum, gloriam Dei extrinsecam.

**Objic. 1°** Quaedam sunt praecepta, quae quandoque obligant, quandoque non; v. c. « non occides. » — *R. d.* quae quandoque..., quandoque non, pro data materia concreta, *e;* quae in iisdem adjunctis, *n.* — *ad inst.* sensus erat : « non occides hominem sine justa causa et sine legitima auctoritate. »

**Objic. 2°** De facto pluries Deus dispensavit; v. c. ut Abraham filium immolaret; ut Hebraei furarentur vasa Aegyptiorum. — *R. n. assert.* — *ad inst. d.* Dominus omnium dedit hominibus jus quod ipsi ex natura sua habere non poterant, *e;* secus, *n.* (scilicet mutavit adjuncta).

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo lex naturalis etiam *extrinsece immutabilis* est, nam Deus non potest non jubere ut ordo servetur, vetare ne turbetur.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ergo si quaeritur quodnam sit *summum legis naturalis princi-*

*pium*, i. e. praeceptum quod totam legem contineat, et ex quo tanquam ex communi principio, omnia hominis officia naturalia scientifice derivari possint, non quidem tanquam ejus evolutiones analyticae, sed tanquam ejus applicationes minus universales; respondemus ipsam moralitatis supremam normam etiam legis naturalis supremum principium efficere, posseque hoc principium apte enunciari : « *rectus naturae ordo servandus est,* » vel : « *ordinem rationis servato.* »

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Ergo minus apte hoc principium summum enuntiaretur : « *tende in finem ultimum;* » nam ita indicatur quidem legis elementum formale, sed non item elementum materiale; scilicet dicitur cur agendum vel non agendum, non dicitur quid agendum vel omittendum.

**Coroll. 4<sup>m</sup>** Ergo minus apte etiam haec formula enuntiatur : « *bonum faciendum, malum vitandum;* » nam omne malum morale quidem, sed non omne aliud malum est vitandum, v. c. aestheticum; nec omne bonum, ne omne bonum morale quidem, est obligatorie faciendum.

**Coroll. 5<sup>m</sup>** Ergo non solum minus apte, sed false enuntiant supremum legis principium :

a) *Thomasius* : facienda sunt quae vitam hominis reddunt maxime diuturnam et felicem, vitanda iis opposita.

b) *Cousin* : ens liberum, mane liberum.

c) *Kant* : sic age ut lex, quam tibi praestituis, possit valere pro generali norma operandi (imperativum categoricum).

d) *Damiron* : sit evolutio plena omnium facultatum.

e) *Fichte* : sit omnimoda independentia.

f) *Rosmini* : sit recognitio practica objectorum.

### ARTICULUS 4.

#### De lege humana.

### Propositio 40.

**Leges humanae a legitima auctoritate latae obligationem proprie dictam imponunt.**

**Notiones.** 1) Praeter legem aeternam et naturalem, alia *lex divina* potest esse *contingens*, quam si Deus ferre voluerit, tenetur *facto positivo* revelationis promulgare, diciturque lex divina positiva, eritque evidenter vere obligans.

2) Omnis lex humana (cfr. supra, propos. 32) est positiva, i. e. *signo aliquo positivo*, a natura rationali diverso, promulgata.

**Prob.** Deus vult omnia quae ad societatis, tum ecclesiasticae tum domesticae tum civilis, conservationem sunt necessaria; *a.* ad hanc necessaria est legum humanarum observatio; *e.*

*Ad maj.* Deus in praesenti rerum ordine vult societatis existentiam et conservationem (cfr. infra, suo quaque loco).

*Ad min.* Sine legum observantia nulla esset ad eundem finem ordinata plurium conspiratio, nullus inter homines ordo.

**Objic. 1<sup>o</sup>** Leges aliarum societatum (associationum) non obligant; *e.* a pari societatum ecclesiasticae, familiaris, civilis. — *R. d. ant.* nunquam obligant per accidens saltem, *n*; per se, *sd.* quia ipsae tales societates non sunt necessariae et a Deo absolute volitae, *c*; secus, *n.* — *n. parit. in cons.* (hae sunt necessariae et a Deo absolute volitae).

**Objic. 2<sup>o</sup>** Leges civiles praecipere nequeunt nisi actus externos; *e.* voluntatem non proprie obligant. — *R. c. ant.* — *d. cons.* directe voluntatem in se, *tr*; indirecte quoad effectus imperandos, *n.*

**Objic. 3<sup>o</sup>** Ad legem humanam requiritur ipsorum sociorum consensus; *e.* — *R. d. ant.* ubi penes unum vel paucos est auctoritas legitima, *n*; ubi penes ipsos omnes socios, *sd.* ita tamen ut postquam dato consensu lex existat, jam vere obliget, *c*; secus, *n.*

### Propositio 41.

**Obligatio legis humanae pendet a Deo.**

**Prob.** Obligatio est necessitas ponendi aliquas actiones utpote connexas cum fine ultimo; *a.* solus Deus potest connectere actiones nostras liberas cum fine ultimo; *e.*

*Ad min.* Ad solum Deum pertinet beatitudinem futuram concedere vel negare.

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ergo qui legitimae auctoritati resistit, Deo resistit.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Fieri potest ut finis per legem obtinendus, a legislatore intentus, sufficienter attingatur per solam obligationem impositam, nulla poena vel sanctione externa proposita; — vel aliquando etiam sine ulla obligatione actus ponendi vel vitandi, proposita tantum poena pro actus omissione vel positione, eritque tunc obligatio solum luendae mulctae vel poenae dandae. Talis lex vocatur mere poenalis. — Legislatoris vero est judicare qualis requiratur lex: in conscientia obligans cum praescripta sanctione, an obligans sed sine sanctione externa, an mere poenalis.

**Coroll. 3<sup>m</sup>** Dignosci poterunt leges quae sint mere poenales: 1) ex formula qua efferuntur, v. c. qui hoc fecerit, talem mulctam solvat; — 2) ex usu et interpretatione communi etiam virorum proborum.

## ARTICULUS 5.

### De consuetudine.

### Propositio 42.

**Consuetudo aliquando vim legis habet.**

**Notiones.** 1) In omni societate humana multa semper sunt circa quae

nihil lege statutum est; sed determinantur *consuetudine*, i. e. modo communi et constante omnium aliquid externe operandi quod ad bonum commune pertinet.

2) Consuetudo potest esse vel universalis, i. e. vicens in tota aliqua societate, vel particularis, i. e. vicens in aliqua certa parte, v. c. in certa regione, vel apud certam hominum conditionem.

**Prob.** Fieri potest aliquando ut consuetudo sit 1) in se ipsa honesta, 2) ad bonum commune utilis, vel etiam necessaria, 3) a legislatore approbata et confirmata, saltem implicite, 4) omnibus sufficienter manifestata, et cognita tanquam retinenda et observanda, quae cognitio promulgationi aequivalet, 5) vicens in societate tota, vel saltem in ejus tanta parte ut vere perfecta aliqua societas dici haec possit (praesertim quando accedit legislatoris consensus); — *a.* talis consuetudo legi aequivalet, et vere obligat; *e.*

*Ad min.* Talis consuetudo vere aequivalenter dici potest: ordinatio rationis, et stabilis, communitatis bonum respiciens, omnibus imposita, sufficienter promulgata; *e.*

**Coroll.** Talis consuetudo prout factum est, definitur: «frequentia operandi libere eodem modo»; prout obligans: «jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur quum deficit lex», et dicitur *jus non scriptum*.

### Propositio 43.

**Unica causa ex qua consuetudini fiat vis legis est consensus legislatoris.**

**Notiones.** Triplici modo potest consensus legislatoris consuetudini acquiri: 1) per *approbationem* consciam et explicitam; — 2) per *conniventiam*, si legislator modum illum constantem agendi noverit, impedire potuerit, nec tamen reclamaverit: sic enim «qui tacet consentire videtur»; — 3) per *praescriptionem*, si qua lege fuerit cautum, ut si consuetudo ad bonum commune pertinens, cum mente sese obligandi a sociis fuerit inducta, et per certum aliquantum tempus non interrupta duraverit, vim legis eo ipso nanciscatur: tunc enim etiamsi hanc particularem consuetudinem ignoraverit, eam tamen implicite in praescriptione generali approbavit. — Consensus per approbationem vel per conniventiam dicitur *personalis*; per praescriptionem, *juridicus* seu *legalis*.

**Stat. quaest.** 1) Aestimabant aliqui, praecipue apud Gallicanos, consuetudinem posse superioris voluntati resistere, eamque esse quasi extrinsecum quoddam principium quo superioris et inferiorum jura conciliantur.

2) Dicimus hanc opinionem esse talem quae et auctoritatis et ipsius consuetudinis naturam ignoret, et societatis ordinem penitus convelleret sicubi acciperetur.

**Prob.** De essentia legis est ut communitatem perfectam vere obliget, ac proinde ab eo oriatur qui habet vim obligandi; *a.* inter omnia quae ad legitimam consuetudinem constituendam concurrunt, sola voluntas legislatoris est quae vim obligandi communitatem habeat; *e.*